

studiorum, ne animus tædio obsessus desperet de literis, aut abhorreat a labore disciplinarum: Studium enim intensum per se triste & implacidum videtur non assuetis, adeoque hi relaxatione quadam ut gaudeant, pene est necessarium, *Lib. XIII. d. Republ. c. 8. in fin.* Quare & Anaxagoras publice sibi decretis honoribus, id sibi tantum commemoratur postulasse, ut quo die mortem obiret, pueris, qui disciplinis & artibus operam navant, permitteretur otiosi & ludere, *Plutarch. in Politic.* Sed tamen cavendum esse, monet idem Tholosanus *cit. loc.* ne istæ vacationes sint longiores, quam decet, cum satis superque tempore festivitatum, quæ plures in anno sunt, lectiones publicæ intercipientur, *Add. D. Schwimmer. de Academ. Diss. VII. theorem. 6. §. 28.*

§. III. Eundem igitur hunc morem non approbatum modo, sed & introductum legimus a Serenissimo Electore Saxonæ in *Ord. Scholast. Part. III. Tit. von der Remission und Schul-Feriertagen.* quæ ita sancitur: Damit auch die Knaben gleich den Præceptoribus von ihrer täglichen Mühe und Arbeit eine gebührlige recreation haben / so sollen nachfolgende Tage und Stunden ihnen frey gelassen werden &c. Item in den Hundstagen alle Wochen die Mittwoch nach Mittage: Quamvis hanc cessationem multis in locis ad omnium dierum canicularium horas Pomeridianas extendi videamus.

§. IV. In Lipsiensi quoque laxior & uberior apparet harum feriarum canicularium usus, cum per integrum mensem Professoribus ab omni lectione publica abstinere sit indurum, cum tamen in Wittenber-